



VLYSSIS ALDROVANDI
PATRICII BONONIENSIS
QUADRPEDVM OMNIŪ BISVLCORŪ
HISTORIA.

IOANNES CORNELIVS VTERVERIVS BELGA
colligere incepit.
THOMAS DEMPSTERVS BARO A MVRESK SCOTVS ICI
perfecte absoluit.
HIERONYMVS TAMBRINVS
in lucem edidit.

AD ILLUSTRISSIMVM, ET REVERENDISSIMVM
D. PARIDEM LODRONIV COMITEM
ARCHIEPISCOPVM, ET PRINCIPEM
SALISBURGENSEM
SEDIS APOSTOLICAE LEGATVM NATVM
Cum Indice copiosissimo
SVPERIORVM PERMISSV
Cum Privilegio S. CAES. MAIESTATIS

FORTITUDO
ET
MAGNANIMITAS

DE RHINOCEROTE.

Cap. XXXIII.

Ordo & nex-
us cum su-
perioribus.



EPTEM animalia *Moncerota*, siue vnum tantum cornu habentia viri eruditi obseruarunt, præ alijs Iacobus Dalechampius animaduersionibus Plinianis lib. 11. cap. 37. His adnumerant *Rhinocerotem* plerique. Ipse Plinius loco laudato: Sunt, inquit, cornua *alys* animantibus quadrupedibus *Singula*, & *hac medio capite, aut in naribus*. Quod tamen quam rerum sit, nos in sequentibus discutiemus.

Error insi-
gnis nonnul-
lorum.

Malè Albertus Magnus *Rhinocerotem* & *monocerotem* idem animalis genus lib. 22. de animalibus iudicat, & cum alij sequuti, nec minùs imperitè quidam negant vllum esse vllibi in rerum natura *Rhinocerotem*: quando & belluam multi descripserint veteres, recentioresque, & in theatro aliquoties populus Romanus spectauerit. Nec vllum animal esse reor, cuius natura, & descriptio magis sit in lubrico, incertoque. Consulendi sunt Bellonius, Gesnerus, Ioachimus Camerarius, Angelus Politianus cap. 56. Miscellaneorum & alij, qui non sunt mihi ad manum. Etymon illi à cornu, quod ex naso pullulat, quod infra quale sit, videbitur: Et licet secundum nonnullos duo habeat cornua, vnum in naso, alterum paulò supra in frõte, aut vt non nemo existimat, in humero dextro, tamen quia prius est longius, fortius, vtilius, ab eo sumpsit appellationem; Sed hæc infra fusius.

SYNONYMA.

piscis.



HOC nomine veniunt, piscis, auis, quadrupes fera; *rhinoceros piscis*, plerumque in mari rubro capitur, & vix aliud tributum genus ab incolis illius fractus, Abyssinorù, regi peditur, vt ex Aluaro Bermudensio ex alijs auctoribus Samuel Purchasius lib. 7. peregrinationis Africanæ exequitur cap. 4. Martinus Frobisherus suscepta in Americam peregrinatione sub annum salutis reparatæ 1576. cum Oceanum Septentrionalem mense Julio glacie constrictum, & transitu perdifficilem inuenisset, ibi cõsistere coactus multos pisces frigore, vt putatur, enectos reperit, & in his *rhinocerotem* ingentè inter ingentes glaciei montes fluctuantem, *rotundum instar histricis, duodecim pedes longum, cornu duabus vniuersis extenso, minus duobus digitis, è naso extuberante, quod rectissimum ijs visum est, qui viderunt, eodemque modo, ac pene forma pari cum ijs, qua Venetys, ac Diui Dionysy spectantur, pars summa ressecta, aut fracta erat, cui aranea imposita statim expirarunt, id Anglia Reges Windsoræ inter pretiosissima asseruandum collocarunt.* Verba sunt Casparis Bnsij Lusitani lib. 2. histor. Indiæ Occident. cap. 26.

Cornua Rhi-
nocerotis re-
perta.

Relatum est à rerum Britannicarum Scriptoribus sub annum 1588. inuentum huiusmodi cornu in littore Sudouoglio ab imperita muliercula, diuenditumque exiguo pretio, postea vsui magno fuisse, vt in litteris retulit Robertus Salmonius de actis sui æui. Sed & piscis iste eodem nomine varia descriptione apud modernos audit Geographos; nam quæ in terra viridi in nouo orbe cornua sũt, longè figura dissident ab illis, quæ in mari rubro frequenter visuntur, vt Ludouicus Vireta Franciscanus exquirat lib. 1. histor. Aethiop. pag. 247. Nuper ante annos decem Thomas Button, & Robertus Bassin in Insula Fœminea in Atlantica deprehenderunt totam incolarum opulentiam consistere in istiusmodi cornibus, quibus maxima virtus aduersus quælibet venena, vt fusius habetur peregrination. America lib. 8. cap. 3. Obseruaui etiam in insula Ramea, & toto maris adiacentis tractu inuisitatum nostro hoc orbe piscem memorari, quem *bouem marinum* nominant, cuius magnitudo bouem quemlibet æquat, aut superat, corio duplo crassiore, duo dentes elephantinos referunt, etsi paulò breuiores, cornu è naribus excrecente, cuius incredibilis aduersus quælibet toxica, vis est, si vera sunt, quæ tradidit Iacobus Chartier in Noua Francia.

Est marinus.

Auis.

Rhinoceros auis volatu admodum pernici, & incitato fertur, corporis magnitudine aquilam superare, rostro incuruo, quatuor pedes longo, inter oculos cornu extante, quod nigra linea continuo producta determinatur. Est auis crudelis, & immansueta, sequiturque exercitus, & cadaueribus depascitur. Visa est vna à Lusitanis enauigato mari rubro, cum Solimanus Eunuclus classem circumduceret, eadem virtus huius cornu, ac quadrupedis, vt narrauit Ludouicus de Vireta lib. 1. hist. Aethiop. pag. 344. Recolo sub annum 1595. in Guiana visam auem, & Gualthero Ralao in portu Merguista oblatam à rege Armadillam, ita indigenæ vocant, cuius penna ita disposita, vt lorica squammas referant, excrecente longo cornu, quo illi vtuntur pro tubis. Petrus Martyr Decad. 3. lib. 6. *Historia*

*Tuba ex cor-
ni.*

A eius porcino non esse longius, & sub terra, ut talpam viuere, interdum etiam altum volare, carnē eius non insuaem, cornu praeipuum antidotum haberi prodidit Monardus author verax cap. 37.

Rhinoceros quadrupes fera nobis hoc opere est describenda, quam solam veteres, nec omnes quidem illi cognouerunt, auem eo nomine, & piscem penitus ignorarunt. Nos succintē de fera aucturi à naturali descriptione exordium ducemus.

GENERATIO, ET COITVS.



GENERATIO eius qualis sit C. Plinius expressit lib. 10. cap. 63. Coitus aduersus Elephanti, Camelis, Tigribus, Lyncibus, Rhinocerotis, Leoni, Dasypodi, Cuniculis, quibus auersa genitalia. Eodem ferè tenore C. Iul. Solinus cap. 40. polyhistor. Auersi coeunt nec hi tantum, Leones, sed & Lynces, & Cameli, & Rhinocerotes, & Elephanti, & Tigrides. Siue ille Plinium transcripsit, siue illum Plinius fontem, à quo hau-

B riter, habuit, alter certè ab altero dissidet, nam Dasypodi, & Cuniculi ab isto omittuntur, ab eo enumerantur, & minus incuriosus utroque est Aristoteles lib. 5. de histor. animal. cap. 2. *ἢ μὴνὸ μόνως γὰ πάντα πλησιάζουσι ἀλλὰ τὰ μὲν ὀπίσθητικὰ συνίοντα πυγῆδον, οἷον λέοντες, καὶ δασύποδες, καὶ λύγαις.* Verum non omnia simili modo coniunguntur, sed quae retrò urinam emittunt, auersa coeunt, ut leones, lepores, lynces. Ita vertit Theodorus Gaza imperitissimè: nam δασύποδες non sunt lepores, sed diuersum longè animal, quod Latinum nomen non habet. C. Plinius lib. 8. cap. 55. *Lepus omnium prada nascens, solus praeter Dasypodem, superferat.* Sed & ipse Philosophus lib. 1. histor. animal. cap. 1. ad finem, *ἰλαφος, λαγὼς, δασύπους.* Cernus, Lepus, Dasypus. Ibi aequali inconsiderantia idem vertit, *Cerni, lepores, cuniculi,* cum vertere debuisset, *Cernus, Lepus, Dasypus.* Idemque error in translatione eiusdem de opere lib. 3. cap. 12. & lib. 8. cap. 28. Sed & apertissimè hæc animalia distingui probant apud Athenæum lib. 9. versus cultissimi Arcestrati, Callicratis Comici, Alcæi, Aristophanis, Xenophontis, & aliorum. Verum ad generationem redeo Rhinocerotis, de qua nihil Aristoteles, Aelianus, Phile, nec Agatharcidas, nec quisquam Græcorum, quod sciam, vt appareat nusquam perfectam huius animalis cognitionem haberi. Nam nec quot cōcipiat, aut pariat, quamdiu viuat, aut qua cura foetum educet? apud vllum deprehendi.

Ci
su

Dissidet La
tini a Græ
cis.
Gaza error.

NATURA, DESCRIPTIO, sexus, locus.



ERAM istam Aristoteles notam non habuit, ieiunè, praeter morem suum delineauit C. Plinius lib. septimo cap. vigesimo. *Rhinoceros vnus in nare cornu, alter hic genitus hostis elephanto, cornu ad saxalimato preparat se pugne, in dimicatione aluum maximè petens, quam scit esse molliorem, longitudo ei par, crura multò breuiora, color buxeus.* Remissè, ac parè ille, quod parua admodum eo adhuc sæculo istius quadrupedis Romanos attingisset noticia, nec quæquã Iuba Mauritaniae Rex,

D cuius authoritati plurimum Plinius defert, super eo prodidisset, vberius Agatharcides polyhistor. excerptis Historicis apud Photium Patriarcham Bibliothecæ Codice 250. Cuius antiqui Scriptoris verba ex lib. primo de mari rubro cap. trigesimo sexto, apposui ex versione Laurentii Rhodmanni, nam Græcus Codex non est ad manum. *Rhinoceros vastitate quidem non minor, sed altitudine inferior est Elephanto, buxique refert colorem, pellis etiam contactu tenuior, is repandum in naribus fert cornu, ad ferri vim, & rigorem proximè accedens, quo cetero quidem tempore, ad quamcunque approximet caute, limato, præcordia verberat impetens, sed in dimicatione cum elephanto (cum hoc enim de pascuis continuas habet conflictationes, ac capitales luctas) ventrem subit, & perrupto carniū ambitu exanguem facit, plurimique Elephantum ita exanimati cernuntur, at si aluum contingendi copia non datur, contra ipse à proboscide, & dentibus ictus, varijs modis amittit vires, & deficit, quia robore, & vi ab illo permultum differt.* Concordes illi fanè, sed non parum ab illorum sententia dissident, qui res Americae exequuti sunt: Nicolaus de Comitibus Venetus in itineralio suo ad Indos. In Mangi prouincia *Rhinoceros sū illo capite, bouina cauda, in fronte cornu gestat non breuius bipedali longitudo, Elephantino est colore, cum quo illi perpetuum bellum. Cornu huiusmodi in pretio est apud omnes, quod venenatis rebus remedio esse censetur.* Hæc tam sunt aliena à descriptione veterum, vt aliud illud animal esse, ac Monocerotem verius, quàm Rhinocerotem suspicari iure liceat; ita censuit Simon Maiolus vir litteratissimus Dier. Cunicular. colloq. septimo.

Neoterici
dissident à
piscis.

Quale cornu,
& quo-
tuplex?

Nec minor est dissensus de cornu, nam laudati haecenus vnum ei tantum cornu assignant, E
Pausanias, gravis, & fidelis Scriptor, duo, alterum insigni magnitudine de naribus extans, alterum
quod supernè erumpit, exiguum quidem, sed validissimum. Adducit sanè me locus ille, vt de succin-
cta relatione C. Plinij iterum querar, & existimem quibusdam Rhinocerotibus duo esse cornua,
sed non omnibus; nam nec verisimile Agatharchidem cum Plinio, & alijs intra citandis, hoc tam
supinè neglexisse, nec locus M. Martialis Coqui explicari potest, nisi duo cornua admittamur, ita
enim libro spectaculorum epigr. 22.

Namque grauem gemino cornu sic extulit Vrsam.

Pulchrè describit Oppianus Cilix lib. 2. Cyneget. V. 552, sed inaudita ab alijs ratione, quod
sciam, Sexum in eo animante sequiorem non esse, nec in specie foeminam esse, quæ pariat, concipi-
atve: verba eius sunt,

Ῥινόκερωσ δ' ὄρυγος μὲν ἴσθι δέμασ ἀΐθυκτῆρος
ἢ πόλλον μείζον, ὀλίγον δ' ὑπὲρ ἄκρια ῥινόσ
Ἀντίλλει κέρας, αἰτὸν, αἰκαχμείνον, ἄγριον ἄορ
κείνησ κεν χαλκόντε διατρήσεισ ὀρήσασ
ἠτήσασ, βριαρὴν τε διατμήξεισ χαραδρὴν
κείνοσ, καὶ ἀναρῶ περὶ ἑφορμηθεὶσ ἐλέφατε
Πολλάκισ ἐν κοιήσιν ἴκην τοῖστων ἔθηναι
Ἡρέμα δ' ἔξανθοῖσ ἐπὶ καλλικόμοισι μετώποισ,
καὶ νώτω ῥαδάμιγγασ ἐπήτριμα πορφύρουσι.
Πάντεσ δ' ἄρρητεσ εἰσὶ, καὶ ἔποτε θῆλισ ὀράται,
καὶ πόθεν ἢ ἐδάην, φράζω δ' ἕχ' ὡσ δὸδάηκα
εἴτ' ἢν ἐκ πέτρησ ὀλοὸν τόδε φύλον ἐπήλθειν,
εἴτ' αὐτόχθονεσ εἰσὶν, ἐπαντέλλουσὶ δὲ γαίησ,
εἴτε πρὸσ ἀλλήλων, τέρασ ἄγριον, ἐκφύονται.
Νόσφι πόθων, καὶ νόσφι γάμων, καὶ νόσφι τόκοιο.

Ea sic Latinè sonant, nam vulgata versio haud quaquam consona Græcis

Rhinoceros autem Oryge, a sino Indico, est corpore impetuoso
Non multo maior, paruum vero supra summitatem nasi
Surgit cornu, graue, acutum, indomitum telum:
Illo ferrumque penetravit impetu facto
Vulnerans, solidumque diffecuerit saxum.
Sæpe in pulueribus mortuum ipsum prostrauit,
Sensim verò in ruffa, & pulchricoma fronte,
Et in dorso macula confertim purpurascent.
Omnes verò mares sunt, nec unquam femina conspicitur,
Et unde nascantur non noui, loquor non tanquam sciam,
An ex petra pernitiosum hoc genus prodierit,
An ex terra geniti sint, existantque è tellure,
An ex sese mutuo, portentum horrendum, procreentur,
Sine amoribus, & sine nuptijs, & sine puerperio.

Perierunt
multi vete-
res auctores

Multa ille ab alijs prætermissa nos in isto quadrupede docet, vt reor sanè, quod visum semel a-
nimal ad sui explicandam naturam multos vtriusque linguæ auctores excitauit, ita suadet Clau-
dij Aelianus lib. 17. de animalib. cap. 44. Ῥινόκερωτοσ εἶδοσ γράφειτεσ ἰωλον ἐστὶν ἴσασι γὰρ καὶ ἑλ-
λῆνων πόλλοι, καὶ Ῥωμαίων τε θεάμενοι, τὰ δ' ἴδια αὐτῶ κατὰ τὸν βίον εἶπεω, ἢ χεῖρον ἐστὶν. In primis
verbis latet mendum, ideo rescribendum εἶδοσ γράφειν μὲν, & sic sensus constat. Petrus Gillius ver-
tit: Rhinocerotis figuram describere, nimis frigidum esset, cum Græcorum permulti, & Romanorum,
qui illum viderint, eius formam planè sciunt, at enim vim, & naturam eius actionum exponere die-
num non est. Sed vereor ne illi perierint, nec ad nos peruenerint. Et certè multum Oppianus ab a-
lijs differt, nam a sino Indico, seu orygi tantum magnitudine parem vult, cum alij a qualem Ele-
phanto extollunt: Quæ illi est ruffa frons, & dorsum maculis purpureis distinctum, alijs est color
buxeus: Omnes mares esse fidem omninò superat, tam vastum animal sine femine, aut coitu posse
prodire: Et tamen id probat exemplis idem Aelianus.

Ἡ δὲ καὶ διερεῖται ἐν ὑγροπέροιο θαλάσσης
Βένθεισιν, αὐτόρρεχτα φύει, καὶ αὐκτορα φύλα
Ὅσριον ἠπεδαναιτ' ἀφύαι, κόχλων τε γίνεθλα
Ὅσρακατε, σρόμβοιτε, τὰ, τε ψαμάδοισι φύοται.

Ita versa concipiuntur.

Iam etiam in humidis undosimarum

Gurgitibus, à seipsis facta nascuntur sine matre sacula,

Ostreum, imbellesque apua, cochlearumque genera

Testacea, conchyliarum, & quae in arenis nascuntur.

Commentum hoc ab ignorantia naturæ, ut puto, profluxit, non aliter quàm *hyenam alternis Error ab ignorantia.* *annis marem, alternis feminam fieri, & sine coitu parere vulgus credit.* Plin. lib. 8. cap. 3. & lib. 28. cap. 8. & tamen illud negante Aristotele lib. 3. de generat. animal. cap. 6. afferere non dubitarunt plerique veterum, & in his Aelianus disertus, & Phile lib. de proprietate animal. cap. 43.

Ἄρρη μὲν ἦν ἰάνα τὸν χρόνον,

θῆλος δὲ τὸν νῦν.

Hyana quæ mas pridie videnda erat

Nunc femina est.

Augēt suspicionem ignorantiae antiquorum, & firmat sententiam meam vel illud præcipuè, quod pauci explicant qua regione potissimum Rhinoceros proveniat, aut ubi gentium uiuat? Paulus Diaconus Epitomaſtes, Festi Pompeij lib. 16. *Rhinocerotem quidam esse aiunt bonem Aegyptium falso planè, nec unquam in Aegypto uisus ille, nisi fortuito casu illatus, ut ex Strabone infra patebit; Alij Aethyopicum quadrupedem contendunt ex loco Pausaniae in Bœoticis, siue Taurum uocari, quod erroneum, nam ibi loci ait ille in Aethyopia taurum esse, qui ob similitudinem cornu ab ignaris appelletur Rhinoceros.* Relinquitur ergo certum & in Africae desertis, ubi Elephanti sint, ibi & Rhinocerotes esse, & in India, quod nouo orbe detecto patrum nostrorum memoria rerum esse est deprehensum. Anton. Fernand. Soc. Iesu. epist. datis anno 1610. in Abassia regno reperiri ait. Peregrin. lib. 7. cap. 6. Et in Asia multis locis hodie uisitur, maximè in regno Bengala. Vide infra in speciebus uarijs.

De loco non conuenit.

CORNŪ, ET PUGNA cum Elephanto.



NONNIHIL supra de cornu obiter attigimus, hic fusius idem pertractandum; Nonnulli ergo unum ei tantum cornu adsignant, præter naturalium rerum auctores Septimius Florens Tertullianus lib. 3. contra Praxeam. *Non utique destinabatur Rhinoceros unicornis, nec Minotaurus bicornis.* Non omnes istum sequuntur, sed & Martialis duobus illum cornibus depræliari, loco supra laudato, asseruit, quod

Angelus Politianus *geminum illud cornu ad Vrsum retulerit, ut sit Dasius, ut ipse loquitur, ferri non potest; Vrsus enim cornua non habet: ad ipsum Rhinocerotem geminum cornu spectare docent uerba Pausaniae loco proximè supra laudato. ὅτι σφίσι ἐπὶ ἄκρα τῆς ῥινὸς ἐν ἑκάστῳ κέρασ, καὶ ἄλλο ὅτι ἐπὶ αὐτὸ ἡ μίγα, ἐπὶ δὲ τῆς κεφαλῆς ἐπὶ ἄρχῆν κέρατα ἐστίν. Quoniam illis in summa parte singulis unicum cornu, tum aliud supra non magnum, uerum in capite, ne initio quidem cornua.* Vtrūq; hoc cornu in capite, secundum Martialem, & Pausaniam; at quidam in humero dextro cornu illud secundum, & breuius esse contendunt Indicar. rerū relat. lib. 3. c. 7. Domitiū Calderinū reprehendit Angelus Politianus, defendit uiriliter Iacob. Mazzonius lib. 1. defenſ. Dant. c. 35. Vtrumq; sit, cornu, quod è nare surgit, & nomen tribuit, & à uirtute præcipua extollitur, quod ut Monocerotis cornu uenena propulset, auctores supracitati, Phile lib. de propriet. anim. c. 36. Io. Tzetzes histor. Chiliad. 5. c. 7.

Pugna Grammaticorum.

Τὸ κέρασ τῆς κόπτισι, ἀντιπαθὲς φαρμάκις

Τὸν θῆρα δὲ φιλόκερω ἰῶσιν ἀποτρίχεν.

Paulus Lacifius Veronensis uertit benè.

Cornu huius incidunt, uenenis contraria vi pradtum

Feram autem spoliatam cornu sinunt aufugere.

Sunt porro alij, qui fabulas meras putant, quicquid de cornibus Monocerotis, aut Rhinocerotis dicitur, nec quippiam uirium ijs inesse ad uenena depellenda, aut indicanda, omniaq; ea, quæ Principes pleriq; inter pretiosissima asseruant, fictitia esse, ut quod habent Rex Britannia ad Vindsore, rex Gallia ad Diui Dionysij, Veneti ad Diui Marci, quodq; Clemens VII. Pontifex Regi Francisco donauit, quodq; in direptione ædium Petri Medici Florentia à Gallis occupatum memorant Paradinus, & Paulus Iouius lib. 18. histor. talem enim uirtutem illis inesse nec ueteres ulli prodiderunt, & negant nostro auctore docti: aut si quid mirabilem in ueneno detegendo ab illis fieri comperitum sit, id non naturæ ipsorum adscribendum censent, sed antidotis quibusdam, ex quibus cornua ista

Vis uenena pellendi an insit?

temperentur, & manu fiant, quod in Iudæi cuiusdam artificio manifestum volunt, qui tale cornu
 Reip. Venetæ vendidit, Sed vt de virtute illa venenum extinguendi, depellendique incertum, ita
 Negant an- illud exploratissimum cornu Rhinocerotem vti cum pugnam cum Elephanto inuit. C. Plinij locus
 tiqui, & do- corruptus est lib. 18. cap. 1. cum arbore exacuunt, limentque cornua Elephanti, & saxo Rhinocerotis
 Et quiq; & utroque apri dentium sicas. Legendum est plano, apertoque sensu. limentque cornua Elephanti,
 & saxo Rhinocerotis, & vri, & apri, Eodem enim pugnae genere vti Rhinocerotem, & vrum, dicitur
 infra. Denique omnem hunc inter feras istas inimicitiae naturalis, & pugnandi ritum expressit Cl.
 Aelianus lib. 17. cap. 44. Latini interpretis verba sufficient: *In summa nare, cornu gerit, cuius mu-*
cro acutus existit, ex eoque nomen traxit, neque ipsum illud in robore concedit ferro, quod quidem ip-
sum, cum est contra Elephantum pugnaturus, saxo exacuit, & limat. Cetera non ei paria cum Ele-
phanto, nam hic & procerissimus est, & fortissimus. Cornu igitur cuspidato Elephanti crura subiens,
aluum diserpit, & lacerat, isque effuso sanguine decumbit; pugna eorum est de passionibus, pro usque
tuendis multi mori dicuntur. At si aluum non praecipit Rhinoceros, sed inter hunc conatum ab E-
lephanto praeveniatur, illius proboscide apprehensus, attrahitur, & retinetur, & dentibus ceu securi-
bus conscinditur, ac tametsi eius, pellis ea existat firmitate, ut agræ iaculo penetrari queat, tamen tam
 violentus est Elephanti impetus, vt eam traiciat. Hinc ille forte à pellis duritia nomen videri posset
 Etymon no- mutuatus, nam Græci vt *ρίνα νασυ*, ita *ρίνον* pellem appellant; pugnat tamē cum Plinio Aelianus;
 num. nam iste durissimū huic, & vix iaculo penetrabile corium attribuit, ille multo tenuiorem Elephan-
 tinæ pellem ac delicatiorem adsignat. Sed parum interest, dummodo vtriusque belluæ natura, pu-
 guamque incundi ratio constet, & percipiatur.

Q V A N D O P R I M V M

in Europa visus.

Pugna Hi-
storiarum.



Error Dio-
nis.

EXOTICVM est, peregrinumque animal, nec aucto Aristotelis Græcis, nec Ro-
 manis quidem ante annum Urbis conditæ 666, cognitum, sed per quos Italiae mō-
 stratum, aut cuius opera productum, inter antiquarios nō conuenit, quam contro-
 uersiam tangit Cælius Rhodiginus lib. 16. Antiquar. lectio. cap. 15. Dio Cocce-
 ianus lib. 51. vult Augustum Octavianum, deuicta Cleopatra, cum anno 12. trium-
 phum de ea duceret, qui fuit Urbis annus 725. Rhinocerotem omnium primum in triumphali pō-
 pa traduxisse, & publica ludorum solemnitate confecisse, *θηρία κίβοτα ἀλλά τε φαμπλεθῆ, κῆ*
ρίνοκερω, ἵππος τε πετάμιος, πρότον τότε ἐν τῇ Ρώμῃ ὄφθέντα ἐσφάγη. Καὶ ὁ μὲν ἵππος ὁποῖος ἐστὶ,
πολλοῖς τε εἴρηται, κί πολὺ πλείοσιν ἰώραται, ὁ δὲ δὴ ῥινόκερωσ τε μὲν ἀλλὰ ἐλίφαντι τῆ προσίκει,
κίρας δὲ τι κατ' αὐτὴν τῆν ῥίνα προσίκει, καλὴν προίκει, κί διὰ τὸ ὕτω κί κλίται. Vertit Franciscus
 Sylburgius: *Multa fera, ac animantia* in triumpho Actiaco traducta, aut prælata, & *inter hac* *Rhi-*
noceros, & equus flumiatis: Hippopotamum Latini Græca voce appellant, *tunc primum, & visus Ro-*
ma, & occisi sunt. Equus ille quale sit animal, multi tradiderunt, multo plures viderunt. Rhinoceros
 autem cetera Elephanto similis est, cornu autem ex ipso naso prominens habet, & hinc nomen suum in-
 uenit. De utroque animali falsum; nam Hippopotamus ludis Aedilitijs M. Scauri primum populo
 Romano ostensus, Plinio auctore lib. 8. cap. 26. & Rhinocerotem primus Cn. Pompeius magnus
 ludis editis exhibuit, multis antequam nasceretur Octavianus, annis. Idem Plinius lib. 8. cap. 20. H
 qui cum Romanus esset, & classis Romanæ præfectus, & ducentis annis, vt minus, sæculo illi vici-
 nior fuit, errasse Græculum in re peregrina facillè apparet. Adde, contra Dionem pro Plinio stare,
 C. Iulium Solinum Polyhistor. cap. 43. *Ante ludos Cn. Pompeij Romana spectacula Rhinocerotem*
nesciebant. Hanc sententiam vt veriorem sequuti viri graues. Anton. Coccinus Sabellicus in para-
 phrasi ad Suetonij locum laudatum. Patrum etiam nostrorum memoria Emanueli Lusitanæ Re-
 gi ostensum, donoque datum Rhinocerotem recentiores Historici adnotarunt. & in his Lauren-
 tius Surius commentar. Rer. sui tempor. ad annum 1513, & alij. Et qui hodie Americam navigan-
 do explorarunt, frequenter feram ipsam vident, frequentius abiecta cornua, neglectim iacentia
 reperiunt.

A
V S V S I N S P E C T A C V L I S
Romanis, & cruentus conflictus.



S V S eius Romæ, nisi explendæ populi libidini, nullus, nam in eo, præter atrocem, cruentamque dimicandi naturam, nihil memoratu dignum, aut vitæ necessarium, deprehenderunt, itaque vt quæcumque alia animantia visu rara, aut corporis mole horrenda, ita *Rhinoceros*, & in pompa Triumphali prælatus, & gladiatorijs ludis in arena theatri, aut Circo producebatur. Hostes ei componebant, & cum illo committebant, vt verbo proprio vtar, vel hostem suum naturalem, scilicet Elephantem, qui plerumq; ab illo superabatur, vt ex superioribus constat, & experientia nuper comprobatū, cum anno 1515. Emanuele Portugalliæ rege spectaculum edente Vlyssipponē Elephantem post longum certamen

Elephantem superat.

B prostravit, vel hostes ei in spectaculo nulli, ita intelligendus est C. Suetonius in Augusto cap. 43. *Solebat etiam citra spectaculorum dies, si quando quid inusitatum, dignumve cognitu aduectum esset, id extra ordinem quolibet loco publicare, vt Rhinocerotem apud septa, Tigrim in scena, anguem quin quaginta cubitorum pro comitio.* Innocua hæc erant spectacula, nec effuso sanguine populus oblectabatur, sed sola oculorum voluptate erat contentus. At in cruento arenæ certamine aliquoties à Domitiano productus, ac cum Tauro commissus. Martialis coquus libello Amphiteat. epigr. 9.

*Præstitit exhibitus nuper tibi, Casar, arena,
Quæ non promisit prælia Rhinoceros.
O quam terribiles exarsit pronus in iras?
Quantus erat cornu, cui pila Taurus erat?*

Nullum animal ferocius eo, nec quod valentius in arena depugnaret. Culpant autem Martialem nonnulli ex Criticorum grege, quod belluæ iram tribuerit, sed nec malè id ille, nec sine exemplo fecit. Martian. Capella lib. 4. pag. 361. L. Seneca lib. 1. de Ira cap. 3. dixi ad Claudianum consulatu Olybrij, & Probrini in principio. Eodem opusculo Martialis epigr. 22.

Ira belluæ.

C *Sollicitant pauidi dum Rhinocerotæ magistri,
Seque diu magnæ colligit ira fera:
Desperabantur promissi prælia Martis:
Sed tamen is redijt, qui fuit ante furor.
Namque grauem gemino cornu sic extulit Vrsum,
Iactat vt impositas Taurus in astra pilas.*

Penultimum versiculum liquet esse vitio librarij deprauatum, neque enim tam vasto, & forti, cornutoque animali, ac est *Rhinoceros*, credibile videtur *Vrsum* oppositum, qui nec corporis mole, nec robore, nec armis ei vllatenus conferendus foret, quare refingendum

— grauem gemino cornu dum sustulit Vrum.

Domitius Calderinus, & Angelus Politianus retinuerunt malè *Vrsum*, quum *Vri* natura vis, *Vrus* hosti proprietatis, illi loco potiùs conueniant: Plinius lib. 18. cap. 1. supra à me correctus, & lib. 11. cap. 37 tam lata *Vri* cornua describit, vt rarò alijs poculis barbari ad Septentrionem vergentes vtantur. Seruius ad lib. 2. Georg. Eadem alij. L. Seneca Hippolyto Act. 1. Sc. 1.

D *Tibi dant varia pectora Tigres,
Tibi villosi trrnga Bisontes,
Latisque feri cornibus Vri.*

Hucusque de indomito eius robore, pugnacitate, naturaque, attexui, pergo porrò.

C O R N V Q V A L E .



N G E N S auctorum dissidium cogit hic ampliorem de cornu eius disquisitionē instituere, omnia enim sunt in incerto. 1. Sunt qui duo, vt dixi, cornua ei affingāt, vt præter laudatos supra, *Nummus Domitiani* repræsentatus à Pierio lib. 2. Hieroglyph. ad finem. Eucherus vetustissimus auctor. *Terribilis fera Rhinoceros, cui gemina in naribus cornua.* Et euicit pæne eruditorum consensus, vt duo cornua eam habuisse constet. 2. quo in loco hæc cornua, quæve figura? Valde est ambiguum, in eodem Domitiani nummo cornua æqualiter, parique magnitudine è naso excrescunt, nisi fortè, quod credibilius

Nummus Domitiani.

lius

lius est, forma illa Elephantis est, non Rhinocerotis, vt schema ostendit, à Pierio ibidem loci E productum.

Alijs placet duo quidem esse cornua, sed inæquali magnitudine, & illi in diuersas sententias habentes, Domitius Calderinus, & Theodorus Marcilius cornu maius in nare collocat, minus in humero. Nonnulli demum maius cornu in naso, minus in fronte, aliquo supra spatio, constituunt.



A Est & quorundam Doctorum opinio, & in his sunt Ioannes Bodinus, & Conradus Riterhusius comment. in lib. 2. Oppiani, qui censent maius cornu supra, minus vero intra esse, sed nos arbitrio Lectoris, quod sequendum sit, relinquimus.

3. Nec minus difficultas est de forma ipsius cornu. Supra obiter attigi *rectum* fuisse *instar tubæ, linea nigra transcurrente*: Alijs *rectum* quidem esse iudicatur, sed sine linea, sunt viri clari, qui cornu illud incurvum, forma litui credunt fuisse. Præeat Artemidorus Geographus apud Strabonem lib. 16, cuius verba Latina sunt, nam Græca non sunt ad manum. *Rhinoceros longitudine parum ab Elephantis exceduntur, quos Alexandria vidisse affirmat colore buxo, Elephantis similis, magnitudine Tauri, forma Apro proxima, præsertim quoad rectum, præter nasum, qui cornu quoddam est recurvum, omni esse durius, eo pro armis utuntur, quemadmodum aper dentibus, habet enim duo cingula tanquam Draconum volumina dorso usque ad uterum circummeuntia, alterum iugum versus, alterum ad lumbum. Itac dicimus de eo, quia nobis visus est.* Diodorus Siculus eadem scribit lib. 4 Biblioth. cuius verba, interprete Laurentio Rhodomanno, hæc sunt: *Est animal, quod ab re Rhinocerotem vocant, par viribus Elephantis, magnitudine inferior, pelle durissima, colore buxi, in summitate nasi cornu gerit, finum forma, durumque instar ferri, hoc pabuli causa cum Elephante certat: acuit enim ad saxa cornu, deinde cum Elephante congressus, ventrem graviter ictum cornu, tanquam gladio profcindit, hoc pacto pugnant, belluam exanguem reddit: si vero Elephas illius ictum præoccuparit, proboscide captum, cum superior sit viribus, dentibus laniat.* Et cornu ille, & pugnam egregie describit.

Agatharchidas vetustissimus auctor. *σικὸν δὲ ἐν τῷ ἀκρωτι πορὴ τῶν μυκτῶν κίρας, σιδήρω τῆ βίαν παραπλίσσιον.* Repandum in naribus fert cornu, ad ferri vim, & rigorem proximè accedens. Etiam Latinorum sententia est. C. Iulius Solinus polyhistor, cap. 63. *In naribus cornu unicum, & repandum, quod subinde attritum cautibus in mucronem excitat, eoque aduersus Elephantos præliantur, par ipsis propè longitudine, breuior cruribus, naturali telo aluum petens, quæ solam intelligit ictibus suis peruiam.* Ita ergo, antea malè solam legebatur, Euincunt ergo tot illustrium, & antiquorum Scriptorum testimonia, ut existimem non *rectum*, neque *linea distinctum*, sed planè leniter inflexum, ac recurvum fuisse, ita tamen ut curvatura illa modica nulla ratione pugnam cum hoste impediret, haud longè figura ab simili ab aprorum dentibus, ut arbitror, quando *Verum* facilè eo tollerere potuisset.

CORNŪ VSUS IN BALNEIS.



Maxima in thermis, si vlla in re, Romanorum superbia, nam & ingens in ijs apparatus, & sumptus immodici, & quotidianus luxus, Q. Symmach. lib. 8, epist. 23. M. Plaut. 1 rucul. Act. 2. Sc. 3. Ad has Capsarij, seu quadrantariae mulieres guttos habebant, in quibus oleum referuabant vulgaribus loturis idoneum. Vetus Scholiastes Iuuenalis ad Satyr. 3. V. 262. *Guttus ab eo, quod guttam mittit, quem habent*

Capsarij. Ipse Satyricus ibi loci:

*Iam lauat, & bucca foculum excitat, & sonat unctis
Strigilibus, pleno componit lintea gutto.*

Ut gutto tenuioris fortunæ homines contenti, lautioribus cornu Rhinocerotis pro gutto erat.

D Vetus Scholiastes Iuuenalis ad Satyr. 7. V. 130. *Magno Rhinocero, id est, magno gutto, quod sicut* Gusti bal-
Rhinoceros sit ingentis nasi. Ipse poeta nei.

*Matho deficit, exitus hic est
Tongilli, magno cum Rhinocero lauari.*

Ex cornu isto guttus erat grâdi pretio. M. Martial. lib. 14. epigr. 53. cuius lemma est *Rhinoceros.*

*Nuper in Ausonia Domini spectatus arena
Hic erit ille tibi, cui pila Taurus erat,*

Præcedentis epigrammatis lemma fuit, *guttus corneus.* Ut appareat ipsa Rhinocerotis, & bovis cornua, nulla facta mutatione, guttos facta. Ipse Epigrammatarius:

*Geſtabat modo fronte me iuuenens,
Verum Rhinoceros me putabas,*

Erant paupere Republica gutti etiam fictiles, & lignei, vsibus domesticis, & sacris peragendis apti. M. Varro lib. 4. de lingua Latina. Aliqui hunc eum *Lecytho*, & *ampulla* confundunt malè. Tabula sacrorum apud Bartholomæum Marlianum de Topogr. Urb. Rom. C. Plin. lib. 16. cap. 38. *Curius iuravit ex præda nil attigisse, præter guttū faginum, quo sacrificaret.* A. Gell. lib. 17. Noct. Atticar. cap. 8. *gustum, hominum ore tenus imprudens, ac si inesset oleum, offert.* Et paulo post. *Aspicit puer*

puer guttum atrocibus oculis, & concussam vehementius, iterum in ollam vertit. Sunt tamē qui per E Rhinocerotem apud Iuuenalem intelligi contendunt labrum, in quo se lauarent, manifestē falso: nam nec vllum cornu tam vastum, & ingens, vt homines capere possit: Deinde labra omnia ex metallis. L. Seneca epist. 86. *Sordidus, inquit, quispiam sibi nunc videtur, nisi aquam argentea epistomia fuderunt.* Sic optimē Iustus Lipsius legit, licet Iacobus Cuiacius *Epistomia* malit. Euo ergo diuite labra caldaria epistomia ex auro, argentoque quæ olim ex ære. Vlpian. l. c. l. xxv. ff. de auro & arg. leg. Claudian lib. 1. in Eutrop.

Balnearia ex argento.

— *in argento lympham portabat alumna.*

Phædrus lib. 4. fab. 63. *Limatienem argenteam, Eunuchos glabros.* Vtrumque ritum signanter attigit Papinius Statius Neapolitanus lib. 1. Sylu. 5.

*Nil ibi plebeium, nusquam Temesæa videbis
Aera, sed argento felix propellitur vnda,
Argentoque cadit, labrisque tumentibus instat
Delicias mirata suas.*

Ridiculus error Mercurialis.

Sed & diuersum quippiam de *Rhinocero* isto apud Satyricum sentit Hieronymus Mercurialis, esse scilicet probè nasatum, aut insigniter peculiatum, qui impudicitiam professus cum diuitibus ad spurcos vsus lauaretur; quod erroneum omnino, & à mente poetæ alienissimum; nam licet eodem labro meretrix, & matrona casta, vt est in veteri parœmia, vnâ lauarent, licet in eodem folio pudicus cum impuro aqua perfunderetur, quod tamen auo Iuuenalis fortè lege Censoria iam sublatum, tamen versus Martialis de homine non possunt intelligi, sed de gutto tantum, quo oleum balneatores reseruabant, eruditè obseruat Matthæus Raderus. Quod autem cornu istud vim quâdam veneni expultricem habere nonnulli tradiderint, & veteres ignorarunt, & ego fabulam puto, neque enim sagacem id Romanorum, & Græcorum curam fugisset, non me latet tamen maximas Abyssini regni diuitias haberi, animalium pelles, Elephatum dentes, Rhinoceroton cornua. Ioan. Boter. Relat. Afric. pag. 144.

P A R O E M I A E.

Bronchi.



LVRIMÆ ab isto quadrupede loquendi prouerbiales formulæ, seu paramiz defluerunt. 1. *Ore deformis, seu dente Bronchus* translato vocari solebat *Rhinoceros*, quod scilicet dentes eminerēt, vt videri possent cornua Rhinocerotis. Adrian. Turneb. lib. 17. aduersarior. cap. 24. Lucilius Satyricus.

Bronchus Bonillanus dente aduerso eminulo, hic est Rhinoceros.

Eamque idem ille deformitatem pulchrè describit, per oppositionem ornatus, aut pulchritudinis. Versus eius sunt.

*Non censet καλλιπλόκαμον, καλλίσφυρον illum
Non licitum esse uterum, atque etiam inguina tangere mammis?
Compernem, aut varam fuisse Amphitruonis ἀχοίτην
Alcmenam, atque alias: Ledam ipsam denique nolo,
Dicere, tute vide, atque disyllabon elige quod vis,
ἑυριπύπυρα, aliquam rem insignem habuisse
Ferrueam, νεϋμνὸν dictum, dentem eminulum vnum.*

Lucilij affectatio Græci sermonis.

Hanc nimiam Græcarum vocum affectationem in Lucilio ridiculam ridet, & exagitat non vno loco Horatius. Vide lib. 1. Satyr. 10.

*At magnam fecit, quod verbis Græca Latinis
Miscuit.*

Libido.

2. Per *Rhinocerotem* prouerbialiter notatum vult Hieronymus Mercurialis hominem indomitæ libidinis, & immensè peculiatum, vt sunt plerumque nasuti. Æl. Lamprid. in Heliogabalo, & ex illo Cæl. Rhodigin. lib. 27. cap. 27. Auctor obscæni carminis in priapis

Grandia Dulychÿ vasa tulisse viri.

Ex quo apparet non *nasatos*, sed *vasatos* legi debere. Ipse viderit, modestia me, & Christianus pudor, vltra progredi, in re tali, non patiuntur, nec locus Iuuenalis, ab eo laudatus, quippiam conducit, alium enim ipsius sensum supra ostendimus.

Derisores.

3. Derisores per parœmiam *Rhinoceros* esse, aut Rhinocerotis nasum habere dicuntur. Martialis lib. 1. epigr. 4.

Maiores

A *Maiores nusquam ronchi, iuvenesque, senesque,
Et pueri nasum Rhinocerotis habent.*

Sidon. Apollinar. carm. 3.

Nec nos ronchi sono Rhinocerote notet.

Et carm. 9.

Rugato Cato tetricus libello

Narem Rhinocerotiam minetur.

Et sanè nulla humani corporis pars erat, quæ non alicui affectui esset dicata, sic caput Diuinitati, frontem Genio, renes libidini, oculos Amori, genas Pudori, supercilia fastui, pectus consilio, genua Misericordie, aures imas Memorie, crines Luctui, dextram Maiestati, sinistram furacitati, nasum irrisioni, dicauit Antiquitas. Et cætera quidem per se nota sunt, aut parerga nobis. De naso paulo accuratius differam. C. Plin. lib. 11. cap. 37. *altior homini tantum, quem noni mores subdole irrisioni dicauere, nasus.* Hinc Græcis *μυρτιπιζεν* naso agitato aliquem *subsannare*, siue quod ait Plautus, *frigidam subdole suffandere.* Ioan. Brod. lib. 4. Miscellaneor. cap. 32. Sic passim intelligendi auctores. Artemidor. Daldian. lib. 1. Oneirocrit. cap. 29. Helenus Acron, & Porphyrius ad Horatij Satyr. 6. lib. 1.

Partes humani corporis Dys dicata.

*Vt plerique solent, naso suspensis adunco
Ignotos.*

Pseudo-Cornutus ad Satyr. 1. A. Persij V. 61. & ad illud Satyr. 3.

Ingeminat tremulos naso crispante cachinnos.

Quintilianus ex Aristotele. *Nasus significat ingenium, contemptum, risum, fastidium.* M. Martialis lib. 13. epigramm. 2.

*Nasutus sis vsque licet, sis denique nasus
Quantum noluerit ferre rogatus Atlas,
Vt possis ipsum iam deridere Latinum,
Non potes in nugas dicere plura meas.*

4. *Rhinoceros* adagio quadrat in iracundum, est enim *nasus*, vt prædicta omittam, *bilis sedes, Bilis.*

C Plaut. Amphitruone. Sc. Dij.

A. Persius Sat. 5. V. 91.

— iracadao naso, rugosaque fanna.

Cum ergo nullum animal tam ingentem nasum habeat, merito in derisores, & iracundos proverbialiter detorquebitur, de posteriori etiam Martialis supra

O quam terribiles exarsit pronus in iras.

Vnum tantum addo, & sermonem finio.

HIEROGLYPHICA.



D ABET etiam in arcana Aegyptiorum Theologia mysticas quasdam significationes *Rhinoceros*, quas ex vnico Pierio Valeriano, quia non est ad manum Horus Apollo, deducam. Is ergo lib. 2. Hieroglyph. ad finem nonnullas ponit.

1. *Iracundiam ex tarditate ferociorem factam*, qui describere velit, huius quadrupedis emblemata exhibeat, qui diu in arena, verberare, stimulis, flammis etiam irritatus, nulla ferociae signa exhibuit, dum concepto, licet lento, furore, egregio spectaculo fuit, vnde Martialis supra.

Iracundia.

Desperabantur promissi praelia Martis;

Sed tamen is redijt, qui fuit ante, furor.

2. *Rex quilibet potens inferioris artibus petitus per Rhinocerotem cum Elephante pugnantem exprimitur*: nam etli Elephanto longè viribus sit inferior, tamen & naturalis ei nascitur hostis, & acuminato cornu dolose aluum petit molliorem, quam si adacto cornu perfodere possit, certa victoria potitur, vt ex Agatharchida, Plinio, Aeliano, Strabone, Diodoro Siculo, & alijs supra laudatis abundè liquet, nec repeto.

Rex potens.

3. *Robur, & fortitudo per Rhinocerotem denotatur.* Eucherius ex sacro Iobi libro: *Nunquid vult Rhinoceros seruire tibi?* Et apud Balaam hæc verba extant. *Cuius fortitudo, quasi Rhinocerotis.* Sed & in Psalmo 21. Chaldæi, & Arabes rectè exposuerunt, *Salua me à feroce fortissimo, sicut Leone, à Rege potente, cuius potentia sit sicut Naricornis.* Quod fugit omnes quos viderim hætenus, qui versibus Latinis donarunt Regium Psalmisten.

Robur.

In Job. cap. 39. ibid.

4. Stulticiam & arrogantiam hoc animal notat. D. Gregorio teste. in nare fatuitas, in cornu E. elatio. 5. Buxcus in eo color, abstinencia pallor est. ait idem sanctissimus Scriptor.

SPECIES VARIÆ.

Africanus.

Bengalensis.

Error Gesneri.

Coriati.

Scaligeri.

Diversitas ex Cornib.



Diversas esse Rhinocerotis species, et sine Græci, nec Latini prodiderunt, recentiorum tamen diligens observatio persuasit, nam in Africa Rhinocerotem quendam vivere deprehenderunt magnitudine asini sylvestris, cornu bicubitale, pedibus cervinis, auribus equinis, cauda bovinâ. Peregrinat. African. lib. 6. cap. 12. In regno quodam Afrix Bengalâ dicto ingens est Rhinocerotum copia, quos Abadas patria lingua vocant videndi sunt Ioan. Boterus, Antonius Maginus, Artus Histor. Indiae Orient. pag. 282. Linschot. cap. 16. in illius regionis descriptione. Huius quadrupedis cornu, quod ex naso pallulat, dentes etiam, caro, sanguis, pedum ungulæ, & quicquid est in toto corpore, præcipuam adversus venena qualibet virtutem habere creduntur. Cutis supernè corrugata, ut laminas, & bracteas referat, si vera est descriptio eius apud Linschotum cap. 49. Hunc viri docti existimant esse Monocerotem, sive unicomu, quod nostra ætate, præter hunc, nemo aliunde vidit, excepto Ludouico Vertamanno, seu Barthama, qui lib. 1. cap. 19. ait se duos Monoceros vidisse, quorum alter habebat cornu bicubitale, ipse magnitudine pulli equini, alter paulo minor, dono missus Sultano Mecca. Cuius auctoritate Conradus Gesnerus lib. de quadrupedib. censuit varias esse species Monocerotis, quam verè ipse viderit, nam illa ipsa animalia in Magorri aula pridem visa, vitis cruditissimis Rhinoceroses sunt habita, cornua enim ea non è fronte, sed è naribus nascuntur, & extuberant; quare & Thomas Coriatus, qui non ita pridem eorum picturam exhibuit, manifesti erroris conuincitur, qui cornu ijs in frontibus dedit, quæ constat in naribus locunda. In pari errore versatur Julius Cæsar Scaliger exercitat. in Cardan. 205. Neque tantum istæ dæ species recentiorum cura innotuerunt, sed & pleraque aliæ, quas reperies apud Samuelem Purchasium in peregrinationibus suis non vno loco, ad quem te, lector, remitto. Denique nec veteres vnam tantùm eius animantis speciem cognouisse videri possunt, quando alij vnum cornu, alij duo, nonnulli vtrumque in nare, quidam vnum in nare, alterum in humero ponunt; sed & illi, qui vtrumque in nare cornu collocant, dissident ab inuicem, dum hi minus supra maius, isti contrario situ collocant. Hæc omnia eo tendunt, vt diuersas eius species tum visas argumento sit probabilis.

QUOTIES ROMÆ VISVS.

Quater Romæ visus.



Hoc corollarij vice fuerit, nunquam Romæ visum, nisi ad spectaculorum pompam, Rhinocerotem, nec id quidem sæpe. 1. stante Republica Cn Pompeius dedit, & in arena confectoribus exhibuit. Plinius, & Solinus. 2. ab Augusto Principe extra ludorum ordinem in septis ostensus, Dio Cocceianus, & C. Suetonius, quanquam ille in manifesto errore. 3. à Domitiano, aut vt quibusdam probabilis habetur à Tito Romam allatus, & populo monstratus, Nummus Domitiani, & Martialis. 4. Gallieni fuit magnificentia, nam inter alias feras ludis illius Imperatoris interfectas enumeratur etiam Rhinoceros. Trebellio Pollione in vita Gallieni auctore, nec pluries memini.

VENATIO.

Differentia Monocerotis & Rhinocerotis.



DIFFICILEM esse eius venationem, ac longè difficiliorem capturam plerique existimarunt. D. Gregorius Magnus exposit. Morali in Job. cap. 39. Rhinoceros indomita est natura, nec captus, quia nimium impatiens, in vita retineri potest, sed illico moritur, putauit vir sanctissimus eundem esse Rhinocerotem, ac Monocerotem, quod & multis alijs eo sæculo imposuit, in his sunt Albertus Magnus, vt dixi, & Vincentius Bellouacensis lib. 18. cap. 104. sed euicit experientia, & sequentium assiduitas, vt planè, plenèque hæc distincta esse animalia liqueret, nam Monocerotem non posse viuum capi, constans est opinio, cum venatores cornu tantùm requirant. Ioan. Tzetz chil. 5. c. 7.
Δραμόντες πάντες οι λοιποι τῶν θηρευτῶν, ὡς ἔφη,
Τὸ κινῆσαι τὴν κόρην αὐτῶν, ἀντιπαθὲς φαρμάκειον

Τὸν θῆρα δὲ ψιλόκερων ἰῶσιν ἀποτρίχειν.

Vertit Paulus Lascius.

Currentes alij omnes venatores, quos dixi,
Cornu huius insidunt, venenis contraria vi preditum,
Feram autem spoliatam cornu sinunt aufugere.

At de *Rhinoceros* omnia secus se habent, nam & captus saepe, & Romæ in arena spectatus, ut dixi. Sed aperta illa est distinctio, quam ad teram ex idoneis auctoribus: nam inter venandum *Rhinoceros* capientibus est pæne immobilis, & se robore suo, non etiam cursu tuetur, ac vindicat; contra *Monoceros* incitatissimo fertur cursu, ac persequentibus pernitate pedum se eripit. De prioris captura Oppianus *Cylix* lib. 4. *Cyneget.* in principio statim

ἢ λαφροῦ κεράσσει θρασυῖ, κεράσσει δὲ ταῦρος,
ἢ γαίεσσιν ὄρυξ κρατερός, γαίεσσιν λίοντες,
ἢ ποσσὶ, Ρῖνὸ κερος πῖσυνος, πόδις ὄπλα λαγωῶν.

Verbatim sic verito.

Non ecerunt cornibus audax, cornibus verò *Taurus*,
Non genis *Oryx* validus, sed genis *leones*,
Nec pedibus *Rhinoceros* fretus est, pedes arma leporum.

De posteriori *Phile* propriet. *Animal.* cap. 36.

— ἀλλ' ἀνάρθρος τῆς πόδας
Ἀσπάζεται δὲ τῆς ἀπανθρώπου τόπους.
Idoneosque cursibus licet rudes
Gestat pedes, amatque solitudinem.

DE CAMELO.

Cap. XXXIV.



CAMELI sequitur consideratio, de quo quadrupede, non quid dicatur, sed quo delectu, studiose videndum, nam illum Græci, Latini, barbariq; Scriptores ita certatim extulerunt, ut licet utriusque populo sit animal exoticum, nullum tamen celebrius, utiliusque censent, nec felicius expresserint, non, ut puto, quia experiundo naturam ipsius explorassent, rarus quippe Romanis, nullus Græcis erat usus, sed quia Naturam in Vniuersum executi, agmen ducat C. Iulius Solinus polyhist. *Bactri Camelos fortissimos mittunt, licet & Arabia plurimos gignat, verum hoc differunt, quod Arabici bina in dorso tubera habent. singula Bactriani: hi nunquam pedes atterunt, sunt enim illis reciprocis quibusdam palmunculis vestigia carnulenta, unde & contraria est labes ambulanti bus nullo fauente presidio ad visum insistendi, habentur in duplex ministerium, sunt alij oneri ferendo accommodati, alij perniciores, aut ut in quibusdam codicibus melius habetur, alij ad pernicitatem leues; sed nec illi ultra iustum pondera recipiunt, nec isti amplius, quam solita spatia volunt egredi. Genitura cupidine, i meliori codice, prater genituram, in exhausta libidine efferantur adeo, ut sauiant cum Venerem requirunt. Oderunt equinum genus. sitim in quatridentum etiam, sic rectius, tolerant, verum cum bibendi occasio data est, tantum implentur, quantum & satiet desideria praterita, & in futurum diu profit. utulentas aquas captant, puras refugiant, denique nisi canosior fuerit liquor, ipsi assidua proculcatione limum excitant ut turbetur. Durant in annos centum, supplet Codex bonus. domi, aut amplius, nisi forte translati in peregrina. insolentia mutati aeris morbos trahant, ad bella femina in M. S. additur maxime preparantur, inuentumque est, ut desiderium eis coitionis quadam castigatione exsecaretur, putant enim validiores, in Codice M. S. bona nota erat, velociores. si a coitis arceantur. Locum ideo integrum adscripsi, vel quia parum sanus erat, & medica manu egebat, vel quia ex parte mutilus & imperfectus videretur, nec satis *Cameli* naturam exprimeret, denique quod aut interpretatione non leui pleraque indigeant, quippe alijs contraria scriptoribus, quod sigillatim perpendendum hic erit.*

Cur tã multa de Camelo prodita? Cap. 52.

Varia in Solino lectio.

Solinus correctus.